8.

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ

Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis octavo mensis Februarii M. DCC. XXXI.

M. FRANCISCO AFFORTY, Doctore Medico, Antiquorum Facultatis Decanorum Antiquiore Decano, Præside.

An longior jucundiorque vita sobrietatis obligata legibus?

I.



VIVERE suave est, diù & jucundè vivere bonorum præstantissimum. Sanitatem fortunæ complementum, miseriei levamen uno ore collaudant omnes & expetunt. Hæc si labefactata titubet, ad Medicum statim trepidi concurrunt, salutiferam illius opem imploraturi; severioris Diætæ præceptis ultrò parent, ingratum medicamentorum saporem linguæ committere non respuunt, proprium sanguinem largâ manu profundi sinunt, scindi, pungi, uri non recusant, partes suas resecandas porrigunt; sanitatis reparandæ causâ nihil arduum, nihil difficile. At quantò faciliùs exoptatâ felicitate frui liceret, si vitæ jucunditati malè studendo, vitæ salubritas & longitudo non negligeretur. Sed proh dolor! Vigeat nunc quæ modò languebat sanitas & homo viribus integer rectè valeat, ipsum præsentem sanitatem omni studio conservare crederes? minimè. Deliciarum abreptus lenocinio, pari quo eam absentem prosequebatur ardore, nunc præsenti adversatur. Vitam arguit miseram, quæ Medicinæ legibus astringitur; præterita oblitus incommoda, omnigenis indulget

voluptatibus, mollitiem & otium infensissimos sanitatis hostes amicè complectitur, nova in dies fercula, nova gulæ malorumque irritamenta, in suam perniciem ingeniosus, excogitat. Verùm si quis rationis sit compos, vitæque diuturnioris simul ac jucundæ paulò cupidior, errores præcipuè circa victum sedulus præcaveat, sobriamque ducat vitam. Ut enim, inter res non naturales, paucæ suaviùs afficiunt, magìsque delectant, quàm quæ palato blandiuntur, sic paucæ sanitati maligniùs insidiantur. Alimenta, in corporis nostri substantiam dum facescunt, si copiâ peccent, quas reficere debent, gravant & obruunt corporis partes: si pravis imbuantur qualitatibus, tenuissimas ipsius quatiunt fibrillas, totiusque ædificii ruinam ab intimis ordiuntur fundamentis.

II.

LONGA & jucunda est vita, quæ à morbis & doloribus maximè libera, in longum producitur tempus. Hujus bonæ valetudinis quasi quædam mater est frugalitas, inimica luxuriosis epulis. Hæc dum sobriis naturæ legibus Stomachi desideria terminat, ærumnas longè arcet; ita ut revera sobrius tàm vacet omni morbo, quàm vacat humorum cruditatibus, ingluviei sobole. Verique simile est, rudiore adhuc primis temporibus Medicinâ, inter non multa adversæ valetudinis auxilia, plerumque tamen eam bonam contigisse ob legitimam constitutionem, quam neque desidia, neque luxuria vitiaverant. Sed ex quò voluptati sunt, quæ necessitate cœperunt alimenta, tam valuit intemperantiæ solertia, ut homo maximè cibo læderetur, quo maximè indiget. Epulis igitur se refercire præceps ad morbum gradus, & corpora eorum quæ athletarum more repleta sunt, celerrimè & senescunt & ægrotant. Vis rei familiarissimæ periculum avertere? Corpori tantùm indulgeas, quantùm bonæ valetudini sat est, & sic edendi bibendique desiderium temperes, ut vigeat Coctionis integritas. Hæc tibi afferet commoda sobrietas quæ plures jam ad senectutem perduxit, eamque nec turpem, nec citharâ carentem.

III.

QUÆ sobria instituitur vivendi ratio, naturæ apprimè consentanea est. Hujus finibus semper coercita frugalitas, alimentis ad vitam utitur, non ad voluptatem. Cibo famem sedat, potu sitim extinguit, facilique victu, nec exquisitiori arte corrupto contenta, ventriculum nec copiâ gravat, nec

varietate distrahit. Sic vegetior factus princeps ille coctionis opifex, dum cibos amicè complectitur, eos mox strenuè subigit; Utque particulis constant ejusdem ingenii, nec diversæ proprietatis, blando ventriculi calore, placidâ succi Gastrici penetratione colliquescunt in succum æquabilem & temperatum, qui spiritu prægnans & vitæ præsidiis munitus, Lacteorum ductus momento subit, naturæ thesauros instauraturus. Frugalitatis leges incertæ pro incertâ hominum indole. Qui valetudinis suæ curam gerit, primæ potissimùm Coctioni & Ventriculi viribus attendat oportet, & ex iis colligat prudens quanto quove pascatur alimento. Sanguis, corporis alimenti promptuarium, suam à Chylo recipit temperiem. Qualis hic fuerit, talis futurus ille. Sed ex coctionis facilitate & integritate, velut è fontibus, manat Chyli suavitas, Sanguini dulcem & unctuosam crasim allatura. Hujus beneficio, ceu vivifici roris appulsu, partes animatæ vigent, splendent spiritus, habitus nitescit, lucet in vultu coloris honos, ubique læta jucunditas & firmissimum robur. Diu permanet, ut morbi, sic præmaturi senii nescia valetudo, tandiu retinenda, quandiu amica salutis temperantia, salutis causas retinuerit, Sanguinis dulcedinem, fibrarum mollitiem.

IV.

UT homini cibus utilissimus simplex, sic alimenta varia nostris aliena corporibus & nocentissima saporum acervatio. Ciborum varietati affinis est & consanguinea morborum parens ingluvies. Hæc, coctioni inimica & ab omni functionum libertate aversa, ubi ventriculum invasit, languent obruta digestionis auxilia, non coquuntur cibi, putrescunt; inquinant, non alunt. Satietatem brevì cruditas excipit & sordium, morbos omnis generis paritura, congeries. Nec eo tantùm nomine invisa est eduliorum diversitas, quòd Stomachi robur onere ciborum frangat; tumultu potissimùm & saporum dissidio insignis. Nam cùm assa elixis, dura mollibus, placidis immitia, conchylia turdis immiscent, inter se tam diversa diffideant, haustaque malè digerantur necesse est. Interim ex tam malè moratis liquoribus particulæ plures non mitigatæ dissiliunt in venas, morborum semina sparsuræ. Nec mirum quod inconstans & varius ex tam discordi Chylo Sanguini motus accedat. Taceo improbè quæsitas edendi irritationes, peregrinas vires, aliaque jam lassæ voluptatis irritamenta, quibus placet artifici adornare ciborum fercula. Jam non sunt alimenta sed venena, quæ dum mixtionis

lenocinio & voluptatis ſapore faſtidientem Stomachum ſollicitant, plurimum deinceps afferunt detrimenti. His intrà vaſa commiſſis, circulationis motu acriora quibus conſtant principia evolvuntur & ſæviunt; pereunt caloris blanditiæ, perit mollities ſuccorum, inducitur alienus ignis Erethiſmum viſceribus inferens, urenſque ſalſâ tabe præcordia leni ſemper humore irriganda. Sic quæ guſtu percipitur voluptas, ni comitem habeat & magiſtram mediocritatem, cauſa fit doloris, quæ ſecùs erat datura lætitiam & ſalubrioris vitæ modum.

V.

QUEMADMODUM delicatas dapes proſequi luxuriæ eſt, ſic uſu receptas & facile parabiles fugere dementiæ. Veſci tetris & contemptiſſimis cibis turpe cenſeri debet. Parca ſit & ſimplex, ſed nitida cœna. Cùm urget fames, panis in cibo placet; Obſonium ſi lubet, inferatur, non per artem voluptatemque corruptum, ſed Stomacho magis quàm Palato gratum. Cùm ſitis urit, aqua de fluvio hauſta non ſine voluptate bibitur. Qui ſapientiores hoc facili victu contenti ſunt, illos ne putes ſuis carere voluptatibus; ſuas habent & durabiles & quarum non pœniteat: nam vitæ jucunditas non in ſatietate, ſed in ſanitate conſiſtit. Non ex menſâ voluptatem captant, ſed ex prudentiâ, non tam cibo, quàm temperantiâ læti, ſua ſunt & illis convivia imprimis lauta, quæ primùm ſimplicibus epulis, dein gratâ hilaritate ſunt condita. Accumbunt menſæ non tam ventre, quàm animo convivæ; negantque ea eſſe apponenda pulmentaria, quæ egent altero pulmentario. Cibos ergo convivis apponunt, ſed cibos duntaxat, ſibi quiſque ſuum affert condimentum, Famem; duplicem percepturus voluptatem, unam ex apparatu facili, alteram quòd poſtridiè, nec capitis gravedinem, nec ſtomachi cruditatem ſentiat. Nec ſolùm nobis, ſed & poſteris quoque noſtris temperanter vivendo conſulimus; nam ſpem vegetæ prolis auget, hominum bona nutrix, ſobrietas. Hæc, ſi gignendis liberis incumbatur, dum generoſum fœcundumque ſemen progenerat, dum gelatinoſum & laudabile Fœtui ſuppetit alimentum, pulchrâ & numeroſâ prole beatos facit parentes, poſtquam ipſi ſani diutiſſimè vixerint, ſuis adhuc in liberis diu victuros.

Ergo longior eſt & jucundior vita ſobrietatis obligata legibus.

autor. Proponebat Pariſiis HYACINTUS-THEODORUS BARON, Pariſinus, Baccalaur. Med. A.R.S.H. 1731, à ſextâ ad meridiem.

Typis G. F. QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1731.